

**Dissertatio medico-practica inauguralis sistens casum guttae serenae ... /
[Christian Sigismund Wolff].**

Contributors

Wolff, Christian Sigismund, -1737.
Rijksuniversiteit te Utrecht

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Guilielmi vande Water, 1709.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dgndx7ep>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS

SISTENS CASUM

GUTTÆ SERENÆ:

QUAM

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissime
Facultatis MEDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite & legitime consequendis,

Publico Examini subjicit

M. CHRISTIAN SIGISMUND WOLFF, *Lips. Misn.*

Ad diem 2. DECEMB. loco horisque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM

Ex Officina GUILLIELMI vande WATER, Academiae
Typographi, c10 10 CCIX.

BIGÆ FRATRUM SPECTATISSIMORUM,
V I R I S

*Præ - Nobilissimis, Consultissimis, Prudentissimo, Amplissimis &
Excellentissimis*

DN. D. MICHAELI FRIDERICO
FALCKNERO,

Hæreditario in *Prauschwig & Gessewig* / JCto famigeratissimo,
Supremæ Curiae Provincialis & Consistorii Regio - Electoralis Ad-
vocato Ordinario Meritissimo, nec non Reipublicæ Li-
psienfis Prætori Gravissimo,

DN. D. ABRAHAMO FRIDERICO
FALCKNERO,

Hæreditario in *Prauschwig & Gessewig* / JCto Celeberrimo,
Comiti Palatino Cæsareo Splendidissimo, nec non Supremæ Curiae
Provincialis Advocato Ordinario optime
merito,

Dominis Macenatibus atque Patronis

omni pietatis affectu & summa observantia cultu prosequendis;

Omnigenam animi corporisque felicitatem, prosperrimum
negotiorum successum perennantemque Familiarum
florem optat,

insimulque

Dissertationem hanc Inauguralem

non minus

pro favoris hætenus exhibiti documentis quam-
plurimis gratam mentem ostensurus,
quam

ulteriori Ipsorum Patrocinio se commendaturus
mente submissa consecrat

M. CHRISTIAN. SIGISMUND. WOLFF, *Lips.*



B. C. D.

P R O O E M I U M.

Rationem & Experientiam fulcra esse Medicinæ fir-
missima, hisque superstructam Theoriam & Praxin
tam arcto inter se connecti vinculo, ut quisquis
alterutram tollat, totum ædificium evertat, cor-
datiores Medici uno ore pronunciant. At vero
utra harum principem locum sibi vindicare alte-
ramque præire, regere & gubernare possit sive de-
beat, id quidem non parum controversatur. Quicquid autem aliis
hic videatur, ausim propemodum prærogativam istam Experientiæ
tribuere, hancque si non dignitate, ordinetamen, ratione priorem
& potio-rem asserere. Demus, Experientiam sine ratione corpus
esse sine anima, ratio absque experientia erit anima sine corpore,
quæ lemuribus potius & inanibus phantasmatibus, quam rebus
revera existentibus accensenda venit. Certe enim quisquis liberæ
mentis fictioni nimium indulget, neque de rebus revera existentibus,
atque uti revera existunt, cogitare & ratiocinari assuescit, plerum-
que pro Junone nubem, pro veritate futes chimæras amplectitur.
Adeoque non consultum modo, sed absolute necessarium est, ubi-
que prius indagare, quid fiat, antequam disquiramus, cur aut quo-
modo fiat. Sati-
us est, attente semper observare, quid fieri soleat,
quam anxie speculari, quid forte fieri possit. Multa enim Theoria
factu judicat facillima, quæ praxis atque experientia successu carere
ostendunt. Plurima ex ad-
verso experientia videnda imo palpanda
offert, quæ nemo nisi *αὐτοψία* convictus credidisset. Ita v. g. in
vulnere etiam levissimo nullus coalitus satis fidus, partisque vulne-
ratæ restitutio perfecta expectari posse videtur, nisi extremitates fi-
brarum & vasorum dissectorum accurate iterum jungantur, ita ut

singulæ fibræ alteri sibi abscissæ parti, arteriæ arteriis, venæ venis, & nervi nervis exquisiterursus jungantur. Nihilominus absque tali anxio delectu natura etiam sibi soli relicta aut levi opera chirurgica adjuta ingentes plagas & hiatus satis enormes relarcit; quid, quod admiratione dignius, magnas portiones ossium carie absumptorum tam affabre restituit, ut vix aliquis defectus deprehendi queat, cujus rei notatu dignissima specimina occurrunt apud *HENR. ROONHUYSEN* in *observ. Chirurg. p. II. obs. 9. p. 225.* Et in *Act. Hassn. vol. III. obs. I. Oculorum humores excussos renasci posse, plures quidem, quod humorem vitreum attinet, concedunt & observationibus confirmant e. g. HILDANUS cent. I. obs. 26. RHODIUS cent. I. obs. 82. CAMERARIUS Syllog. Memorab. cent. II. part. 83.* Idem vero in reliquis, vitreo nimirum & crystallino contingere posse, plerisque censebitur impossibile. Contrarium tamen in anseri & gallina se vidisse testatur *SCRIVERIUS* in *Act. Hassn. vol. I. obs. 133. p. 264.* imo in corporibus humanis probabile reddit observatio *BORRICHII* iisdem *Act. Hassn. vol. I. p. 151.* inserta. Visum per vomitorii violentioris abusum labefactari quin aboleri posse, nemo forte in dubium vocabit; at vero per idem remedium restitui posse, pauci crediderint. Utrumque tamen in eodem subjecto contigisse narrat *HILDANUS* cent. V. obs. 19. Visum sine ulla fere causa extrinseca perire, & sponte sua post breve temporis interval- lum redire, hancque scenam pluribus vicibus ludere, tandem vero in stabilem alterutrius occæcationem desinere, imo dimidiam saltem partem oculi visum ad tempus amittere, non solum inauditum quiddam, sed etiam propemodum incredibile plerisque visum iri, haud vano augurio colligo. Possum tamen hujus rei non fictam, sed plus, quam optimi parentes optarent, veram historiam in medium afferre. Quam etiam, dum mihi specimen inaugurale publice pro more sueto exhibendum incumbit, non indignam ulteriori scrutinio & publico examine existimavi. Huic cœpto vero, ut partim Divina benedictio, partim B. L. æqua censura faveat, est quod enixe precor.

HISTORIA MORBI.

Virgo 15 annorum, admodum exilis pro hac ætate staturæ, vitæ generi sic satis mobili addicta, diætæ tamen valde inconditæ as-
fuenta,

fueta; hætenus tamen sic satis sana, neque ullos vel capitis vel oculorum dolores experta, nisi quod insignis hæmorrhagiæ narium ternis vicibus infestantis meminerit, coepit jam inde annuo spacio loco floridi faciei coloris ingratum pallorem contrahere, subinde quoque doloribus spasticis artuum, nausea ciborum, flatulentia abdominis, pedum debilitate ac veluti frigoris cujusdam sensu tentari. Fluxus autem menstruus jure jamjam expectandus nondum hætenus comparuit. Proximis feriis natalitiis vesperi, dum candela hypocausto infertur, sentit ex improvise plenarium visus in oculo sinistro defectum, vix tamen ultra horæ quadrantem persistentem. Redit vero interjecto forte menstruo spacio similis visus impotentia in oculo eodem, mane dum e lecto surgit; sed simili modo post horæ quadrantem rursus evanuit. Recurrit idem malum festo pentecostes præsentis anni, mane inter surgendum, duratque ad meridiem usque ad undecimam circiter horam, ubi plenarie iterum remisit, ut ægra nullam visus obscuritatem vel labem oculi retinuerit. Binis abhinc septimanis, cum proximis diebus nuptiis interfuisset, denuo recidivam mali experitur, quod tamen majori pertinacia miseram ægram obsedit, ita ut ad decimam usque septimanam jam perseveret. Ante quatuor circiter hebdomadas idem affectus dextrum quoque infestare coepit oculum, sed ita, ut superiorem solummodo ejus partem occuparet, ægraque personas obversantes a pedibus usque ad dimidiam partem corporis erecti cerneret: remisit tamen satis mature, ita ut unico hoc oculo pari facilitate & felicitate res obvias cognoscere & dignoscere ægra valeat, quam ante ambobus oculis illibatis. Oculus etiam affectus nullas alicujus læsionis notas externo aspectui exhibet, sanoque apparet simillimus, nisi quod accuratius inspectus languidi & subtumidi quid offerat, id quod alias in oculis dormituriæntium vel proxime e somno evigilantium animadvertimus. Oppugnatus hætenus fuit morbus hiece variis modis mediisque V. Sæne in brachio & aliquot septimanarum spacio interposito, in pede instituta, vesicatorio cervici applicito, quod etiam satis largam feri copiam eduxit, medicamentis porro laxantibus, sanguinem purificantibus, & libus; sine ullo tamen levamine, nisi quod vultus decolor non nihil nativi coloris recuperasse videatur. Anxii proinde parentes aliorum Medicorum consilium & auxilium implorant.

RESOLUTIO CASUS PROPOSITI.

I. **A**ffectus, quem præsens casus examinandum sistit, in Scholis Medicis vocatus *Gutta Serena*, Græcis audit *ἀμαύωσις*, Germanis derSchwartzte Stahr. Guttam serenam dixere, quoniam guttæ s. suffusionis speciem esse atque à peregrino humore oculo illabente pendere existimarunt veteres, id quod etiam Germanorum denominatio innuit, qui hunc affectum diserte den Stahr nuncupant: quamvis a vera suffusione cataracta toto cælo differat, cum nullum in humoribus l. tunicis oculorum vitium visui externo pateat. Hinc etiam Latini determinationem *Guttæ serene*, Germani des Schvartzten Stahres adjecere: quia nimirum oculus plane serenus & illibatus, pupillaque, prout secundum naturam decet, nigricans apparet, quæ in vera cataracta mutata ac peregrino colore obducta cernitur. Rectius proinde Græci hunc affectum generaliore nomine *ἀμαύωσις*, hoc est obscurationem l. obfuscationem visus appellarunt.

II. Est autem Gutta serena impotentia s. defectus visus plenarius sine ulla læsionis alicujus nota in tunicis l. humoribus oculorum externo aspectu observanda a nervorum opticorum compressione, contorsione, marcescentia, l. resolutione prægnatus.

III. Hinc etiam in præsentī casu oculus affectus sano fere per omnia similis apparet, adeo ut hi, quibus oculi læsi sanique distinctio non ex propria confessione ægræ innotuerit, in hac dignotione per conjecturas definienda sæpe errarent. Nihilo tamen secius illo ipso oculo sinistro ægra neque lumen solare, neque ignem foci, neque candellæ accensæ splendorem vel tantillum percipere aut inter noscere valet.

IV. In eo autem affectus hic circumstantias plane singulares neque facile alibi obvias exhibet, 1) quod nullis præviis, l. capitis l. oculorum doloribus aut aliis pathematibus furtim quasi & plane tacite unicum saltem ab initio oculum inuasit; 2) sponte iterum remiserit, hancque scenam pluribus vicibus luserit; 3) cum denique alterum quoque oculum infestaret, partem solummodo superiorem obsederit hincque visum dimidiatum induxerit. Quæ si non plane inaudita, certe inter rariora phænomena utique referenda sunt.

V. Causa proxima hujus mali communiter statuitur esse *nervorum opti-*

opticorum obstructio vel compressio. Quæ tamen sententia multis premitur difficultatibus; quoniam scilicet *anatomica* nullam hæcenus in nervis cavitatem detegere potuit. Compressionem, ad minimum in præsentī casu, non subesse, illud dissuadere videtur phænomenon, nempe quod visus obnubilatio dextrum quoque oculum infestans dimidiam saltem oculi partem occupaverit, quod a compressionē nervi optici quomodo proficisci potuerit, non sit verosimile.

VI. Non inepte vero Cl. WALDSCHMIDIUS affectum hunc ad apoplexiam proxime accedere existimat, imo in *Annot. Pract. ad Casus Timæi a Guldenkl.* p. 469. disertè apoplexiam particularem nuncupat. Quamquidem pariter a nervorum per humores viscidos obstructione communiter deduci, hincque medicamentis calidis, spirituosus & æis unice impugnari, me non latet. Quam recte vero hoc fiat, ex tristi experientia dudum annotarunt Practici solertiores.

VII. Cum igitur membra sensu motuque privata h. e. apoplexia f. paralyti tacta semper observentur flaccidiora naturalisque eorum tonus remissior; in præsentī etiam casu oculus læsus accurate consideratus tale quid exhibeat, quod etiam in somnolentia s. naturali ad motus sensusque temporariam cessationem propensione animadvertimus: quid impedit, quo minus *fibrarum nervearum resolutionem* hic subesse asseramus.

VIII. Quo præsupposito facile dein utriusque singularis istius phænomeni ratio reddi poterit, scil. quod visus obscuratio in oculo sinistro pluribus vicibus & redierit, & sponte remiserit; in dextro vero oculo dimidiam saltem partem occupaverit. Constat enim nervos esse fasciculos plurimarum fibrillarum, communi involucro a meningibus cerebri dependente, colligatarum. Quidni igitur certa tantum pars harum fibrillarum nervearum subita ejusmodi resolutione affici, indeque visus in ea tunica retinæ portione, cui constituendæ impenduntur, aboleri potuit, altera parte illæsa, imo mox ad statum naturalem redeunte etiam hac portione. Siquidem non raro tale quid in artubus quoque externis observatur, ubi sensus & motus interdum plane ex improviso, ut plurimum vero a compressionē, l. situ incommodiore perit, membraque hinc plane torpescunt & flaccescunt, quod vulgo das einschlaffen der Glieder vocant: mox tamen l. sponte l. per motum membrorum sanorum adjuncta pristinum vigorem recuperant.

8 DISPUTATIO MEDICO-PRACTICA

IX. Causæ antecedentes possunt esse variæ; frequentissime tamen sunt plethora atque cacochymia, & quæ communissimæ utramque fovent & augent, evacuationes naturales suppressæ vel assuetæ omis-
sæ v. g. catameniorum defectus. vid. *Miscell. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 3. obs. 259. p. 397.* *Armament. Chirurg. Scult. observation. 34. p. 253.* Foniculorum diu gestatorum occlusio vel ulcerum chronicorum consolidatio. conf. *FOREST. Lib. XI. obs. 35. TIMÆUS a GULDENKL. L. 1. Cas. 28. p. 60. & in Respons. Medicin. p. 103.*

X. Causæ procatarcticæ vero s. occasionales, quæ causas has la-
tentes in actum deducunt, sunt omnes repentinæ & violentiores M. S. commotiones, quæ vel generalem universæ massæ humorum orgasmum inferunt, vel particularem humorum ad caput regurgitationem atque ad intimiora cerebri penetrationem, imo veluti inundationem quandam inducunt. Quo nomine jam dudum ob infaus-
tum effectum atro carbone notari coeperunt 1) sternutatoriorum abusus, testibus *HILDANO Cent. 1. obs. 24. & JOH. CHR. LANGIO de sternutatoriorum Usu & Abusu §. 52.* 2) Emetica drastica, referente eodem *HILDANO Cent. V. obs. 19.* 3) sudoriferi intempestivus atque incongruus usus, teste *Celeberr. STAHLIO Diss. de Aff. Oculor. in gen. cap. 5. p. 40.* 4) & lium Medicamentorum improvidam applicationem; quippe quæ faucibus saltem in forma gargarismatum adhibita cœcitatem induxisse narrat *BORRICH. in Alt. Haffn. Vol. 1. obs. 76. p. 147.* 5) Partus difficilis, prout non solum ex *TULPII*, sed propria quoque observatione refert *J. CHR. LANGIUS Prax. General. Cap. 15. §. 9. p. 108.* 6) Casus ab alto, quale exemplum exhibet *TIMÆUS L. 1. Epist. 27. p. 512.* 7) Crapula & mora in conclavi justo vehementius concalescēto; unde insignem visus labefactionem citra ullum tamen oculorum vitium obortam annotavit idem *TIMÆUS L. 1. Cas. 24.* 8) Sanguinis tempore paroxysmi febrilis orgasmica commotio, cujus notabilem historiam affert idem *TIMÆUS L. 1. Cas. 27. p. 60.*

XI. In præsentī nostro casu inter causas proegumenas s. anteceden-
tes primas omnino partes tenet fluxus menstrui jure hac ætate expectandi emanatio indeque sensim subnata cacochymia. Quamvis enim dentur exempla foeminarum fluxum hunc per totum vitæ suæ tempus non expertarum; rarissime tamen hoc contingit sine gravi-
bus œconomix totius corporis perturbationibus, aut absque vicariis sanguinis, per evacuationes artificiales, depletionibus.

XII. Pro-

XII. Proximo ab hinc loco collocanda est prægressa largior sanguinis per hæmorrhagias narium, exoneratio. Quam facile enim maiores ejusmodi sanguinis per certa loca eruptiones, præsertim pluribus vicibus recurrentes, in quandam veluti assuetudinem degenerent, ut sanguis deinde undecunque commotus, ad illud ipsum præcise emunctorium vel partes ad minimum vicinas regurgitet, & denuo exitum ibidem affectet, quotidiana paulo circumspiciatior docet experientia. Cujus rei si quis specimina aliqua altiore utique pensitatione non indigna legere cupit, adeat *Celeb. STAH-LII Diss. de morb. Habitual. c. 4. it. de Motus sang. a crasi & viis non pendentibus vitis. §. 6.*

XIII. De causis procataceticis & occasionalibus ipsa quidem morbi historia silet, præsertim quod primum insultum attinet. Quod si tamen hic suspicioni locus, videtur motus menstruæ purgationis exitum jam molientis inculandus esse. Confirmant hanc conjecturam non modo ejusdem insultus post menstruum spatium recursus, sed antegressi quoque dolores spastici, artuum gravitas & frigoris alicujus sensus impeditus, nausea ciborum & flatulenta abdominis pathemata, quæ potius pro moliminibus fluxus menstrui eluctantis, quam directis cacochymix effectibus habenda videntur. Accedere forte insuper potuit calor nimius aeris ambientis in hypocausto præter modum concalescente. Notum enim est, quod tempore hyberno post occasum solis, quo tempore primus insultus emicuisse narratur, focus redintegrari & denuo instrui soleat: qua in re quam raro modus servetur, pariter notum est. Ad minimum de ultimo eoque reliquis pertinacior insultu res fere extra omnem dubium posita videtur, quod prægressa in nuptiis, quibus ægra nostra interfuisse perhibetur, corporis animique commotio eundem denuo suscitaverit, imo insigniter exasperaverit. Intermedii paroxysmi, qui tempore matutino, dum ægra surgeret, recurrere narrantur, verosimiliter a calore lecti concitati fuere. Certum enim est, per somnum lectique calorem eximie M. Seam exturgescere, id quod vultus rubicundior, imo habitus corporis ad sensum turgidior & vestimentorum nobis vigilantibus satis commodorum laxationem exposcens, nec non sudoris sub somno facilis & familiaris eruptio evincit.

XIV. Prognosis si exquiras, Practici ad unum fere omnes affectum hunc curatu difficillimum pronunciant. Aliquam tamen in no-

stro casu (sem facit 1) ætas junior, 2) Affectus spontanea prioribus paroxysmis remissio; 3) Mensium adhuc expectandorum fluxus instans. Quam graves enim systematis nervosi ataxiæ peremptionem mensium huc usque testitantium curati & soluti fuerint, non sine admiratione passim in observationibus Medicis legimus. Metum tamen augent, 1) satis diutina affectus duratio ad bimestre imo trimestre fere spatium persistentis, 2) novi insultus in oculo etiam sano præludia. Quanquam quod præsevationem oculi hætenus sanati tenet, illa omnino sub usu congruorum remediorum, imprimis vero fluxu menstruo in ordinem redacto certius promitti poterit, quam alterius læsi restitutio.

XV. In tractatione therapeutica hujus affectus duæ observandæ erunt intentiones generales.

1. Ut causæ antecedentes removeantur, hoc est cacochymia corrigatur, mensium obstructio expediatur, modus humorum ad caput oculosque regurgitantium revellatur.
2. Ut ipsi partæ affectæ, oculo nimirum ejusque fibræ nerveis per specifica roborantia prospiciatur.

XVI. Prioris indicationis executio merito initium capit a digestivis & primas vias leniter expurgantibus. Quam solliciti in hoc negotio fuerint Veteres, eorum scripta abunde testantur; adeo ut forte superflua videri possit illorum sollicitudo. Interim tamen monita eorum de Universalibus, hoc est blandis laxantibus & pro renata sanguinis ventilationibus in subjectis plethoricis & cacochymicis præmittendis, antequam ad usum calidiorum & acriorum resolventium massamque humorum validius exagitantium progressus fiat plane fusque deque habere, sæpe non vacat periculo, & audaces tales monitorum salutarium contemptores non raro amara coepti temerarii poenitentia mulctat. Notabile hujus rei exemplum affert Celeb. *STAHLIUS* in *Diff. de morbis oculorum in genere* c. 5. p. 30. quod, licet supra jamjam aliqua ejus mentio tacta fuerit, cum tamen præsens negotium non parum illustret, integrum huc transferre licebit: Medicus Practicus, inquit, l. c. patienti de cephalalgico-ophthalmicis passionibus conquerenti, remedium diaphoreticum, cum præscripto ad ejus usum regimine, offert. Pater, de reliquo etiam cacochymo, præscripto Medici obtemperans, assumit hoc & ad sudorem sese componit, eumque largum exsequitur; sed cum tali eventu, ut hinc in perfectam cæcitatem sive Gut-

tam serenam sub hoc ipso sudore incideret: reminiscente etiam de hinc Medico (viro de reliquo & docto & perito, sed forte, quod in his antiquorum, ut hodie audiunt, Næniis, tantum momenti esse possit, non persuaso) quod rationem huius eventus in omissa præmissione universaliorum alterantium & evacuantium ponendum esse, ipsemet arbitretur.

XVII. Inter Digestiva reliquis præferri merentur, partim præca videlicet cremor & crystallo Φ i, Φ rus Φ satus, Φ rus solubilis, ∇ foliata Φ ri tam in forma solida, quam liquida: partim ex alcali & acido vitriolico prognata Θ ia media sive enixa, nomine quidem & methodo præparandi nonnihil discrepantia, re ipsa tamen prorsus convenientia, scilicet Φ rus Θ olatus tam officinalis iste ex $\circ\circ$ Φ i per deliquium & Θ u Θ li conflatus quam Tachenianus ex solutione Θ li per alcali quaecunque Θ tata & saturata minori sumtu parabilis, Arcanum duplicatum, Θ polychrestum Glaferi, Θ δ atum, non hastatum illud, nihilque ab δ io alteratum & inflammabile adhuc, sed octotrum, amaricans & frigida ∇ difficulter solubile. Non paucis quoque hinc in usu est Θ \ast cum vel solutionibus iteratis, vel sublimatione depuratum, neque etiam plane deses aut iners sese gerit, sed paulo ingratus deprehenditur. Parum ab hoc abludit sal $\chi\chi\tau'$ $\epsilon\zeta\theta$ $\chi\eta$ ita dictum, Digestivum Sylvii, præcipue si ex æqualibus Θ is \ast ci & alcali alicujus portionibus paretur. Notabilis enim portio Θ \ast ci parum alterata remanet. Quod si vero tres partes alcalici Θ is ad unam Θ \ast ci partem sumantur, Θ inde resultans propius ad Θ is communis sive cūinaris indolem accedit. Neque etiam plane rejicienda sunt Θ ia lixiva plantarum v.g. Θ absinth. Cardui Benedicti, ononidis, imo ipsum Θ Φ i, & inde deliquescentia paratum $\circ\circ$. Hæc saltem circa eorum usum cautela observanda, ne vel solitaria vel in majori dosi jejuno aut valde debilitato stomacho offerantur: quippe cui alias notabiles molestias & cardialgicas anxietates inducere solent. Veteres pro hoc scopo sirupos ∇ is \mathcal{A} tis, vel etiam decoctis quibusdam dilutos usurpasse, relicta eorum monumenta testantur. Quæ methodus licet eatenus non plane reprobari possit, quatenus simul diluendis humoribus viscidis inservit; Attamen cum Θ na modo laudata & præsentiori efficacia, & doseos succinctæ gratia sese magis commendent; dilutio etiam alia via obtineri queat: nemo facile erit, cui inventis frugibus adhuc glandibus vesci volupe fuerit.

DISPUTATIO MEDICO-PRACTICA

XVIII. His modo allegatis Digestivis subjungenda, imo socianda & interponenda sunt Evacuantia. De Emeticis tamen, quæ alias in subjectis diætæ negligentiori assuetis, imprimis vero etiam in catameniiis ciendis vel revocandis plurimi magnificiunt, hic monendum, tutius fore in præsentī casu iis abstinuisse. Verendum enim ne per commotionem hanc anotericam nova oculis creetur noxa. Quo nomine lectu & notatu dignissima est cautela practica a Practico peritissimo, scilicet sæpius jam laudato TIMÆO a GULDENKLE subministrata, in Epistolis medicinalibus l. i. ep. 20. p. 498. Vomitiva scribit l.c. omnia oculis sunt nocentissima, adeo ut quidam ex usu eorundem videndi imbecillitatem, quidam omnimodam cœcitatē contraxerint, ut inter alios celeberrimus Magni Ducis Hetruriæ Medicus Vitus Vidiū annotavit, & in se ipso expertus est.

XIX. Consultius proinde fuerit solis hic uti laxantibus ab initio quidem mitioribus, successive vero etiam paulo fortioribus, ut simul motus humorum a capite revellatur atque ad partes inferiores invitetur & derivetur. Talia ex Rhabarbaro, Senna, Agarico, Rad. Jalappæ Helleb. nigri, Aloe, similibusque peti atque interdum levi stimulo colocynthiaco vel scammoniato exacui, aut commode quoque cum alterantibus, aperientibus, emmenagogis & ophthalmicis, imprimis vero q̄io dulci jungi poterunt. Prostant pro hoc scopo varia jam composita, ex mitioribus quidem Pulv. Diasennæ Montagnanæ Pulv. Solutiv. de Tribus, Pilul. de Aloe & Rhabarb. alias Angelicæ S. Francofurtenſes dictæ, Pilul. Aloe phanginæ Marocostinæ Mindereri, Tartaræ Bontii, de Ammoniaco Quercetan. de Succino Cratonis; ex paulo fortioribus vero Pulv. Cornachin s. Comit̄is de Warwick, species dia Jalappe Mynsichti Pil. Hydropicæ Bontii, Extract. Cathol. Andernac. Panchymagogum Crollii, Cephal. Rudii. Imprimis autem celebres in ejusmodi casu Pilul. lucis major: & minores, atque ex recentioribus inventis Vinum Ophthalmicum Plempii, cujus mentio & commendatio iteratis vicibus occurrit apud TIMÆUM a GULDENKLE l. i. Casu 25. & in Epist. Medicinalibus p. 511. Descriptio vero est hæc, quæ sequitur.

Rx. Summit. Euphras. Mj.

Fol. Beton.

Majoran.

Caryophyllat. a Mjß.

Fl. lavend.

Anth. aa pj.

Fol. senna f. f. 3j.

Agaric. Trochisc.

Hermoadt. a 3ij.

Sem. Fœnic.

Gran. Junip.

Cinnamom. a 3ij.

Caryophyll. 3j.

Sacch. albiss. 3ij.

M. F. Nodul. pro Mens. j. Vini

Neque improbat eandem, sed potius suffragio suo commendat Clar. WALDSCHMIDIUS in Annotationibus ad hunc Casum Timæi. p. 471. hoc saltem adjecto monito, saccharo commodius substitui Pasculas minores ad 3iß, & insuper aliquid Θ inum v. g. Cremor, aut Θ qi ad 3j. pro extractione facilitanda addi, quod omnino assensum meretur.

XX. Correctio cacochymia conjuncta præter modo dicta digestiva & laxantia porro exsequenda est per incidentia, resolventia, aperitiva & moderate diuretica. Huc pertinent Rad. Ari, Rub. Tinctorum, Vincetoxici, Taraxici, Cichorii, Eringæ, Graminis; Fœniculi, Bardanæ, Chelidonii majoris, Curcumæ, Herb. Absinthii, Cardui Benedicti, Fumariæ, Chamædrios, Cuscutæ, Epithymi, Marubii, Summit. Centaurii minoris, Gummi Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum. Ex Officina Chemica huc faciunt φ us dulcis, Tra Θ is φ i, Tra δ ij φ risata, Liq. C. C. succin Θ le succini, sapo philosoph. f. Θ φ i. \circ terebinthinæ per diutinam digestionem imprægnatum & saturatum. Tandem & aromatica temperatiora huic intentioni favent, v. g. Fl. Anthos, Salviæ, Comæroris marini, Marum verum, Sem. Anisi, Fœniculi, Dauci, Ammeos, Cassia Lignea: Cort. Winteranus, Cinnamomum, Maceres, Lig. saffrafras & reliqua antiveneæ, v. g. Lig. Sanctum, Rad. Chinæ, saffaparillæ, Rad. Pimpinellæ, saxifragiæ alb. imo & antiscorbutica e. g. Herb. Cochleariæ, Nasturtii, Rad. Armorac. &c.

XXI Revulsionem humorum peccantium ab oculis totoque ca-

pute efficiunt Pediluvia & Venæ Sectio in pedibus adornata, aliqualem insuper evacuationem præstant Vesicatoria, Fonticuli & setaceum, ad quod Præctici tantum non omnes veluti ad anchoram sacram in similibus casibus confugiunt, sæpe etiam non sine optato successu. Confer SCULTETUM in *Armamentario Chirurgico obs.* 34. pag. 253. & *Apnd.* à LAMZWEEED. subjunct. *obs.* 58. pag. 265.

XXII. Medicamenta, quæ fluxu menstruo expediendo destinari solent, quadruplicis sunt generis, quatenus nimirum, 1) sanguinem fluxilem reddunt, lymphæque lentorem attenuant, 2) tonum fibrarum, præcipue autem viscerum venæ portæ conterminorum roborant, & hoc modo sanguinis propressionem & expressionem per uterum promovent, 3) specialem sanguini orgasmum inferunt ejusque motum tam intestinum quam progressivum intendunt, 4) vel denique ipsas vias & fibras uterinas afficiunt, easque vel blande exstimulant vel suaviter relaxant.

XXIII. Prioris generis sunt aperientia superius §. 20. commemorata tantum non omnia. Virtute tamen veluti specifica hic polere creduntur Borrax Veneta, Herb. Melissæ, Calamenthæ, Pullegii, Fl. Cheiri, Calendulæ, Succus radicis Betæ rubræ, tanquam euporiston plebi usitatum; imprimis autem Crocata, Myrrhata, Succinata.

XXIV. Ad alteram classem procul dubio referendi erunt Flor. acaciæ recent. vel Flor. bellidis hortens. purpur. vid. PRÆVOTIUS de *Mat. Med.* p. 416. et si quæ modo verior efficacia ipsis inest, Splen Bovis castrati, a PARACELSO & CROLLIO commendatus, vel Hepar bubulum quod HARTMANNUM encomiastem habuit, quibus vero omnibus palmam præripiunt Martialia tam liquida quam solida. Ex his nota sunt primo limatura ꝑtis cruda, sed quantum fieri potest tenera & nullis ramentis ꝑreis inquinata, porro Gum ꝑtis, &, quæ parum ab hoc abluunt, crocus ꝑtis saccharinus & anima hepatis Anglorum, denique croci ꝑtis varii v. g. cum ꝑe aut juxta D. MICHAELIS methodum cum ꝑbus lixivis herbarum aperientium, imo adductum STISSERI sola multiplici humectatione cum ꝑnivis mense Martio collecta, præparati, vid. STISSERI *Act. Laborator. Chym. specim.* III. c. 1. Inter ista reliquis antecellunt, quæ Acidorum mitiorum beneficio parata, aut etiam cum ꝑinis aperientibus sociata sunt, v. g. Ess. ꝑtis cum succo

eo pomorum. Ess. Martis Helleborata Wedelii, Tra Oli σ is \square lata Ludovici, Ra σ is aperitiva Zwoelfferi, &c. Licet autem σ alia modo allegata a dimidio circiter seculo valde celebrari ceperint, atque non solum in Mensium vitiis, sed & in variis aliis affectuum generibus curandis insignem famam consecuta fuerint; neque etiam encomiis, quibus passim ornantur, plane indigna centeri possint: non tamen ita universalis, ut multis videtur, & plane illimitatus eorum usus est, sed his præcipue cancellis circumscribendus, 1) ne subiectis valde plethoricis offerantur, sine præmissa sanguinis ventilatione debita: facile enim tunc anxietates majores causari solent, 2) ne exhibeantur antequam humorum lentor & visciditas per congruum medicamentorum aperientium usum quodammodo correctæ videatur: siquidem elaterem moveatis intendere, quamdiu materia movenda motui non obsequitur, coeptum est revera $\alpha\lambda\omicron\gamma\omicron\nu$ 3) ne nimis dosibus simultaneis ingerantur, 4) ne temere usurpentur, ubi notabilis æstus præternaturalis jamjam eminet, aut obstipationis viscerum confirmatæ justa suspicio adest.

XXV. Sed ut e diverticulo inviam redeamus, Emmenagogis tertii generis accensemus sabinam indeque præparata varia, Bacc. Laurii, Rd. Aristolochiæ: Bryon. \circ ex acinis, fructuum cunosbati expressum, cujus effectus singulari experimento mihi innotuit; Fuligotam cruda quain Essent. & ω ejusdem, Fermentum Pistorium, de quæ vide P R Æ V O F I I *Medicina pauperum* p. 583. ipsum denique vinum, quod satis commodè in extrahendis aut assumendis hætenus enumeratis simplicibus menstrui, aut vesiculi vices sustinet. Huc etiam pertinere videtur observatio illa Practica, quod purgantia emmenagogis sociata horum efficaciam notabilissime intendunt & facilitent: adeo ut etiam ipsa purgantia nonnulli pro ciendis mensibus svadeant. Ita Prævotius inter Euporista sua p. 162. pro diuturna mensium obstructione referenda instar arcani commendat pomum radiculis Hellebori nigri confixum, coctum & circa fluxus menstrui expectandi periodum comestum.

XXVI. Prostant insuper varia quoque composita huic intentioni destinata v. g. Pulv. Dominarum a F O R E S T O l. xxviii. obl. 6. commendatus & descriptus, Trochisci de Myrrha, Elix. Proprietat. & quæ magna ex parte cum ipso coincidit, Tra \square i compos. Ess. ad Menses Michaelis, Pilulæ Emmenagogæ Mynsychti. Speciale vero encomium hætenus meruere Pilulæ Polychrestæ Bechieri

cheri præsertim a Dn. D. STAHLIO P. P. Hall. correctæ & emendatæ, quippe quæ citra graviores turbas & heteroclitas sanguinis commotiones tranquillissime & latissime officium suum exequuntur.

XXVII. Quidnam a Spiritibus & Ætheribus volatilibus ☐sis in hoc negotio expectandum sit, adversis hæcenus dimicatum fuit sententiis: dum alii eorum virtutes ad coelum efferunt laudibus, alii contra valde parum iisdem hic tribuunt. Vid. STAHLII Diff. de Mensium viis insolitis c. 7. p. 38. Nos controversiam hanc non facimus nostram, neque litis istius diremptionem spondemus. Certum tamen est, id quod certi virtus ☐osi, aut sub certa mixtionis formula forte præstant, ad universam Ætherium Alium & virtuum ☐osorum familiam non extendendum, neque directo eorum effectui adscribendum esse.

XXVIII. Ultimum inter remedia fluxum Mensium promoventia locum obtinent ea, quæ immediate ipsas vias & fibras uterinas vel emolliendo & relaxando, vel blande exstimulando afficiunt. Talia sunt Thermæ tam naturales quam artificiales; totus & infusus ex herbis uterinis & emollientibus, imprimis autem a TIMÆO suffusus ex colocynthide, ab HARTMANNO vapor ex lxivio scoriarum reguli ðii, a GLAUBERO & LUDOVICO usum Ætherium Alium per instrumentum phiolæ brevioris ad instar efformatum, utero vapore tenus applicitorum. Conf. STAHLII Diff. de mensium mulierum fluxu & suppressione §. 45. it. de mensium insolitis viis c. 7. p. 38. nec non WALDSCHMIDII Annotationes ad Timæi Cas. 9. l. 4. p. 54^o.

XXIX. Ex his si pro nostra ægrotante delectus instituendus foret, Emmenagoga primi & secundigenæ, videlicet aperitiva, & si quis multum in illis fiduciam collocaverit, Martialia sufficere poterant. Pellentia enim, præsertim fortiora aut largius data, tantum abest, ut obstructionem pertinaciorē expediant, ut potius ejusdem contumaciam augeant symptomatum & in specie anxietatum ferociam exasperent atque periculosas sanguinis ad pectus caput, fauces, oculos translationes inducant. Itaque post præmissa digestiva, iteratamque primarum viarum expurgationem, vini alicujus medicati, ex aperientibus, resolventibus, laxantibus concinnati usus suaderi & per ociduum continuari posset, ita ut dum mane infusum hoc usurpatur a meridie & vesperti Tra ꝑi l. ðii cum Ess. Mellissæ


liffæ sociata exhiberetur : instruendo præprimis dictorum medicamentorum usurpationem, ea methodo, ut octiduum circiter ante novilunium incipiat & proxime ante ejus ingressum terminetur; aut si forte ex constanti symptomatum circa certam periodum temporis recursu & exacerbatione spontanea speciale magis instantis fluxus menstrui tempus colligi posset, simili modo ad illam opportunitatem temporis præfatorum medicamentorum usus dirigatur. Quantum enim iuxta spontaneorum naturæ motuum & moliminum observatio eorundemque promotio & prosecutio hic valeat, nemo nisi expertus crediderit. Quod si tamen una periodo effectus desideratus non obtineatur, poterit eadem methodus per spatium menstruum subsequens denuo repeti. Tum si certiora fluxus jam instantis præludia emicent, aut si fluxus quidem eruperit, sed non sufficienter procedat, lene stimulans ex Ess. Millefolii, succini, & croci tantillo subjungatur, vel singulis auroris dosis Pilularum Becherianarum exhibeatur.

XXX. Infessus & balnea, imprimis autem fervidiora, in præsentî casu non adeo convenire videntur : quippe a quibus facile universalis Massæ sanguineæ turgescitio & nova humorum ad caput oculosque regurgitatio oboriri posset. Tutiora sunt hoc intuitu pediluvia, neque tamen hæc iusto calidiora sed blando saltem tenore motum humorum ad partes inferiores invitantia. Commodissime ita quoque circa novilunium aut versus quodcunque fluxus menstrui probabiliter expectandi tempus, aut breviante venæsectionem, sicubi ea repetenda foret crebrius, quam quidem intermedio tempore instituuntur.

XXXI. Equidem venæsectio jam binis vicibus celebrata commemoratur, sed priori vice in brachio facta fuisse dicitur; quam tamen, si modo vota tantum valerent, infectam optaremus. Et sane, cum ægra narraret, ultimum insultum, oculum hæctenus sanum infestantem, contigisse tamen post admissam venæsectionem in brachio: fateor animo propemodum insedisse scrupulum, venæsectionem hanc novum istum humorum ad caput affluxum suscitasse. Confirmabant hanc conjecturam plures observationes similium eventuum, infauistorum a venæsectione in superioribus adornata inductorum quorum aliquot exempla notatu & consideratu dignissima affer-
sæpius laudatus STAHLIUS in Diss. de venæsectione in pede §. 24. 25.
 it, JOHAN. CHRISTIAN. LANGIUS in *valerudinario puerpera*

rum §.40. Utut vero apodictice id asseri aut demonstrari nequeat; ratum tamen firmumque manet, Venæ Sectionem in pede præferendam fuisse, quod quidem postmodum factum perhibetur; sed sine decenti respectu ad opportunum vel anni vel periodi menstruæ tempus, neque insuper sufficienti copia, adeoque etiam sine optato effectu id peractum esse pariter constat. Hinc si curatio forte ad menses aliquot protraheretur & debita sanguinis fluxilitas per medicamenta congrua restituta, motusque ejusdem ad partes inferiores per pediluvia derivatus fuerit: tum repetitio Venæ Sectionis in pede aut versus novilunium, aut circa speciale magis fluxus menstrui probabiliter imminens tempus adornandæ non reformidanda foret.

XXXII. Fluxu autem menstruo jam expedito, imo in ordinem redacto & sufficienter procedente; quod si ne tum quidem in oculo affecto alicujus levaminis spes affulgeret; tandem ad setaceum progrediendum esset: quippe quod ultimum fere in his casibus est præsidium. Licet enim remedium satis dolorificum & molestum existat; purgato tamen corpore & mensium fluxu antea expedito, non potest censerī periculosum aut innoxium. Siquidem per dolorem istum, quem infert, satis exquisitum, nervi potius torpentes excitantur, humores stagnantes refelluntur, novusque fibris & humoribus motus inducitur.

XXXIII. Sed ordo jam monet, ut ea quoque tangamus, quæ parti magis immediate affectæ, oculis nimirum aut nervis potius opticeis roborandis prospiciunt, aliove modo conferunt. Sunt hæc ita dicta ophthalmica sive *ὀφθαλμικά* tam interna quam externa. Inter ista apud antiquiores valde celebris est Euphrasia, quæ teste TIMÆO a GULDENKLE in *Epistol. Medicinalibus* l. 1. *Epist.* 21. p. 499. quocunque modo usurpata visum mirifice reficit: conferatur & FORESTUS l. xi. obs. 35. porro rad. Valerianæ cujus specifica in visu acuendo efficacia per seles, radicatam hanc studiose quærentes & avide devorantes, hominibus innotuisse dicitur. Ante annos non ita multos herbula Herniaria sive Millegrana alias dicta in a suppressa ipsoque calculo educendo spectatæ cæteroquin fidei, ceu novum contra oculorum caliginem remedium specificum, celebrari coepit a Medico Misnico, Practico Grimmensi, J. GODOFR. GRUHLMANNO, jam pie defuncto, edito hac de re peculiari schediasmate, Jenæ A. 1706. impresso. Et notum mihi est

est exemplum juvenis cujusdam studiosi, qui cum ex multijuga lucubratione, imprimis vero scriptione assidua, admodum cæcutiret, per usum herbæ Euphrasæ & modo dictæ Herniaræ ad instar Thee aliquod septimanas usurpatæ ita restitutus fuit, ut majori visus acumine, quam quo etiam sanus alioqui gavisus esset, semet jam polle sancte testetur. Cum igitur ejusmodi infusa etiam sanguini diluendo & fluxili reddendo apprime conducant; quidni nostræ quoque ægrotanti tale infusum ex herba Melissæ, Euphrasæ, Herniaræ, & semine anisi vel fœniculi conveniret? Radix Valerianæ utpote ingrator, commodius Vinis medicatis superius laudatis additur: cum & ipsa inter res solventia lymphæque lentorem corrigentia non infimum teneat locum. Ex compositis pro hoc scopo concinnatis prostant Electuarium Opticum MYNSICHTI, it. TIMÆI a GULDENKLE in *Epistolis Medicinalibus* l. I. Epist. 28. p. 514. descriptum, Tragæa ophthalmica seretæ a ROSINO LENTILIO in *Miscellaneis Medico-Pract.* P. I. p. 231. commendata & communicata, Vinum ophthalmicum Plempii, cujus supra inter laxantia jam facta fuit mentio.

XXXIV. De Externis topicis remediis non immerito subnasci posset scrupulus, an etiam eorundem efficacia usque ad partem immediate affectam pertingere valeat: cum externæ oculi partes, quæ topicis solummodo patent, infantes omnisque labis expertes videantur. Utcunque vero satis speciosa appareant ejusmodi ratiocinia; nihilominus Practicorum probatissimorum consensus, imo ipsius experientiae testimonium hic docet plane contrarium. Ita v. g. epomphalia umbilico saltem imposita, aut certa unguenta oleave, plantis pedum illita, aut volis manuum inuncta alvum ciere certis experimentis constat. Conferatur STISSERUS in *Act. Laborat. Chym. Spec.* II. c. 7. In paralyti contractura vel aridura artuum externa nervina & pro re nata emollientia non raro desiderato potiuntur effectui; si vel maxime non ipsos nervos immediate afficiant, multo minus ad originem eorundem, ubi plerumque causa mali hæc re præsupponitur, penetrare possint. Quid igitur impedit, quo minus & hic reliquis medicamentis internis Topica ad minimum ut levioris armaturæ milites adjungi queant. Possumus hujus rei aliquot exempla memorabilia adducere, ubi hoc insigni cum emolumento factitatum fuisse legimus. Sic e. g. FORESTIUS l. XI. obs. 35. historiam recenset mulieris ex ulcerum chronicorum consolida-

tione guttam serenam in alterutro oculo passæ, quæ cum ex Venæ Sectione, cucurbitulis, suppedaneis, purgantibus adhibitis nihil aut parum levaminis persentisceret, sed ultra IV. Menses cæca permaneret, postmodum solo liquore, ex hepate piscis, quem Belgæ aelpuyck, nostrates vero, teste Gesnero l. iv. de Aquatil. p. 71. eine Quappe vocant, in radiis solaribus destillante solisque palpebris inuncto, visum recepit integerrimum. *TIMÆUS & GULDENKLE* in *Epist. Medicin. l. 1. Ep. 26. p. 512.* refert, aurigam quendam diu lumine orbatum fuisse miseramque vitam intra privatos parietes traxisse, tandem a verula quadam consilium tulisse, ut in Vini vulgarem cum petiis duplicatis oculis imponeret idq; singulis diebus ter quaterve repeteret; quod cum per integrum mensem continuasset, ipsum ex voto visum recuperasse. Nota quoque mihi sunt duo, aut tria exempla, visus valde imbecillis per solum externum usum Anisi, septenis super recens anisum cohobiis parati, aut Væ apoplecticæ, it. Anus ex ipso vino destillati: solis palpebris illiti, notabile robur adepti. Porro *HENRICUS KOENE* Hassniensis, jam Medicus Castrensis inter copias Regis Borussiae, in Appendice Diss. Inaugustralis de calculo subnexa nautam allegat per duos annos gutta serena laborantem, in Nosocomio v. Bremensi feliciter restitutum beneficio sumpsit humidum & fomenti læpius oculis applicati. Ultraque formula digna videtur, ut huc transferatur.

Rx. Sem. Fœnic.

Anisi a ʒj.

Aloes ʒβ.

Flor. ☉ & ci ʒj.

Camph. ʒβ. M.

Hujus pulveris tertia pars aquæ ferventi injiciatur, & statim vapor mediante infundibulo tamdiu excipiat, quamdiu patiens perferre potest. Deinde sequens fomentum linteo quatruplicato ter quaterve de die calide applicetur.

Rx. ▽ Euphrasie.

Fenicul. a ʒlj.

Aneth. ʒj.

Ess. Mic. Panis ʒβ.

Croci ʒiʒ. *M.* & affund.
Pulv. Bacc. Laur.
Caryoph. arom.
Sem. Anis. a ʒj. Digere per aliquot dies
Colatura adde
Valerian. ʒj.
 ☉ *ci
Vin. camphor. a ʒʒ. M. & dicto

Modo applica. Refert etiam Abr. Leonh. Vrohlingh in Tractatu quem Matrosen-Gesundheit s. de Scorbuto inscripsit, c. 5. p. 69. sibi ipsi talem infuscationem dimidiæ partis oculorum obtigisse, ut sursum quidem stellas aspiciens easdem satis bene dignosceret, despiciens vero proprios pedes non cernere valeret, redintegratum vero visum fuisse per usum sequentis suffitus vaporosi bis vel ter administrati.

R. Calc. viv. ʒij.
Oli s. pulverisati ʒj.
 ☉ *ci ʒʒ. *M.* ac celeri manu affund.
 ▽ comm. fluviat. vel font. Menl. ii. Vapor.
 ex spontanea mixturæ hujus effervescen-
 tia exsurgens oculis apertis excipiat

Sæpius jam laudatus *TIMÆUS* a *GULDENKLE* in *Epist. Med.* l. i. Ep. 26. p. 512. exemplum viri illustris affert visus obscuritate diu conflictati, qui cum varia interna & externa medicamenta in cassum usurpasset, sensibilissimum levamen persensit ex usu sequenti. Fetus, qui Plempium auctorem agnoscit.

R. Herb. Fœnicul.
Rut.
Hyssop.
Euphras.
Chelidon.
Verbena.
Beton.
Puleg. aa. Mʒ.
Sem. Fœnic.

*Anis.**Curv.**Ammeos aa. ʒij.**Siler. mont. ʒiʒ.**Euphras. ʒʒ.**Macer.**Cinnam.**Caryophyll.**Nuc. Mosch. aa. ʒj. Incis. & cont. M.*

Hæc primo coquantur in aqua, dein valentior fiet fomentatio, si mullæ incoquantur; adhuc valentior, si vino in coctis adjiciatur aliquantum, & Vini.

Quem fotum pariter commendat *WALDSCHMID. in Annot. ad Casus Medico-Præcticos Timæi*; p. 471. additque Medicum quendam Francofurtensem in affectibus oculorum curandis admodum felicem, indeque a popularibus suis titulum Medici ocularis (des Augen-Dokters) adeptum tali fotu optimo cum successu uti. Possemus plura ejusmodi & testimonia & exempla cumulare. Verum enim vero non opus esse existimamus, ut pluribus operose demonstrare conitamur, quod etiam Topica in præsentī casu non solum locum, sed & evidentem usum habere queant. Quare in his subsistimus, & potius ægræ nostræ unum ex iisdem scil. aut *PLEMPHII* fotum aut *VROLINGHII* suffitum vaporosum commendamus.

XXXV. Superest ut vel tribus, quod ajunt verbis aliqua adhuc circa *Dietam* moneamus. Equidem veteres adeo solliciti & propemodum scrupulosi fuere in hoc negotio, ut integrum apud *CORDEM* catalogum contextum videas ciborum & eduliorum quibus omnes quacunque oculorum ægritudine affectos severe interdicunt. Vid. *TIMÆI* a *GULDENKLE* l. 1. Cap. 24. & 25. Peculiariter autem oculis caligantibus nocere creduntur sem. cannabis, lentes, fabæ, panicum, quibus alii cepas alliumque addunt. Conf. *STAHLII* *Diff. de Morb. Oculor. in gen. c. 13. p. 19.* Si dicendum quod res est: Diæta in genere non quidem non plane negligenda, neque tamen adeo superstitiose observanda est. Potest aliquid Diæta in morbis præcavendis & præsentibus mitigandis, sed longe minus in iisdem tollendis. Neglecta morbos exasperat; sola vero etiam

tiam strictissime culta diæta raro iisdem curandis sufficit. Majus momentum situm est in prudenti & corporis & animi motuum moderamine, quam anxio circa esculenta & potulenta regimine. Magis opus est in cibo potuque assumendo temperantiam & congruam proportionem, quam scrupulosum delectum observare. Quæ cum ita sint, nihil aliud ægrotæ nostræ, quam somnum liberum, potum sufficientem, motumque proportionatum commendabimus, a moerore vero & ploratu nimioque oculorum usu, a potu spirituofo, a cibis mucidis & dyspeptis, a motibus corporis præcipitibus, pariter tamen & vita deside, ac denique pedum refrigeratione abstinentiam injungemus.

D. S. L & G.

ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION
500 FIFTH AVENUE
NEW YORK 17, N. Y.
This book is loaned to you by the
New York Public Library
under the terms of the
Gift of Mr. J. P. Morgan
to the City of New York
in 1892
and the
Gift of Mr. J. P. Morgan
to the City of New York
in 1892
and the
Gift of Mr. J. P. Morgan
to the City of New York
in 1892

D. S. L. & G.